



*Margr.  
79.*

*A. 327.*



N. 4774

GENERALI  
EXPERIMENTORVM CRITICAM

T R A D I T

A T Q V E

S O L L E M N I A

M A G I S T R O R V M

L I B E R A L I V M A R T I V M

E T D O C T O R V M P H I L O S O P H I A E

C R E A N D O R V M A T Q V E I N A V G V R A N D O R V M

I N D I C A T

C O L L E G I I P H I L O S O P H I C I

D E C A N V S

E T H. T. C O M E S P A L A T I N V S

I O A N N E S D A N I E L T I T I V S

P H Y S . P R O F . O R D . F A C . P H I L O S . S E N I O R .

---

V I T T E B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHR. DÜRRII ACAD. A TYPIS

1 7 7 5.

GENEALOGIA  
EXPERIMENTORVM CESTICVM  
TISAE  
S. V. T. S.  
S. V. T. S.  
M. V. O. T. S. A. M.  
M. V. I. T. A. M.  
T. D. O. C. T. R. A. M.



Pa 403









**P**hysica experimentalis, ab eximiis viris praestantissimo culta studio, ad tantam nostro saeculo deducta perfectionem et amplitudinem est, vt si quis factorum et rerum numerum reputet, non vnius artis, sed totius intellectus humani opera deprehendere sibi videatur. Neque numerum solum et grauitatem rerum, sed si ingenium, acumen, diligentiam, habitus et sumtus hominum huic arti intentorum spectet, ad constituerandam tam praeclararam scientiam artes et fortunas contendisse, facile concedet; vt mirum sane sit, quod in illa quidquam vllatenus possit desiderari. Nihilo tamen fecius peritiores de incuria autorum in faciundis rebus et experimentis, de neglecto eorundem examine, de subrepitionis vitio et errore in consecutionibus haud semel cominiſſo, et de necio quibus aliis, conquerentes audimus; quorum potior pars negari penitus nequit, nisi, quod omnibus obvium est, negare ipsi velimus. Itaque per hanc scriptoris occasionem in accusationis huius originem et causas inquirere libet, et tutissimum experimentorum dijudicandorum, examinandorum, demonstrandorum, modum exponere, atque adeo Criticam eorundem in breui quasi tabella amplecti, vt de quibuslibet, num secundum regulas suscepta sint, constet; in quo quidem examine Critica potissimum versatur. In eo enim regulis opus esse, ipse, quo habitus dicitur dignoscendi, vtrum quid ad regulas artis suae exactum sit, Criticæ conceptus innuit. His si conuenit, rectum et accuratum, fin minus, spurium et infidum elicimus experimentum. Quare cum praeципue hoc, quod ad virtutem experimenti et praestantiam attinet, operae pretium sit cognoscere, propositis experimentorum generalioribus requisitis, methodum

dum illa examinandi, atque ipsius criticae experimentalis ambitum succincta ratione tradere instituam.

Et quidem statim in limine breuissimum regularum artificialiter observandi faciam recensum, quem hoc loco eo vtiliorem spero futurum, quo concinniori apparatu in eo continentur, et quae ad constituendum experimentum, et quae ad ineundam eius censuram pertinere videri possint. Artificiales obseruationes, nam vulgares et communes hic non in censum veniunt, dirimi solemus in artificiosas et instrumentales, quarum ex perspecta indole, quid experimentis adiumenti sint, cuilibet manifestum erit. Etenim illae, et si instrumentis non indigent, scientia matre progenitae et artis plenae sunt. Hae autem sine instrumentis, a quibus denominantur, peragi non possunt. Piores scientiae artisque sua, ad quam referuntur, nomen retinent: obseruationes videlicet physicae, astronomicae, nauticae, botanicae, medicae, chirurgicae, chemicae, metallurgicae cet. Ab instrumentis autem nomina fortiuntur obseruationes aliae: telescopicae, microscopicae, micrometricae, thermometricae, barometricae, et quae sunt reliqua eiusdem generis. Nonnunquam et ambae occurunt vel coniunguntur, vt in electricis, magneticis, anemometricis. Sic Medicus arte vtitur sua, cum in obseruando digitis pulsū arteriae, quem aut iusto celeriorem, aut tardiorem ex sano suo pulsū afferit, ac inde eius caussas colligere studet; tum in obseruando calore et colore morbi vel mortis nuntio, in signis morborum diagnosticis et prognosticis, in effectibus medicamentorum datorum, in diebus criticis et morborum crisi. Eccei non liquet, scientiam et artem et experientiam medicam, non autem instrumenta, id esse, quo nititur medicus; et si interdum instrumento etiam vtitur: e. gr. thermometro, machina electrica, magnete, cathetere, multis aliis chirurgicis; et in genere omnibus medicamentis, quae, cum sine illis morborum caussas vix tollerent, recte dici medicorum instrumenta merentur. Leges obseruationum artificialium, depositis iis, quae ad communes et vulgares pertinent, hae fere sunt: 1) probe noscenda sunt, quaenam in illa arte aut scientia iam sint recte obseruata et reperta, quae vero adhuc latent; 2) respiciendum est ad prima illius scientiae et praxis principia; 3) ad nexum, per quem ex illis alia atque alia successu temporis sunt deducunt; 4) ad modum, quo id feliciter effectum, emendatum et adauictum est; 5) considerandum, quaenam in illa





illa dentur desiderata, quae vtilia forent generi humano, ipsique, si de-  
tegerentur, arti et scientiae; 6) e quibus, seu veteribus obseruatis, seu  
ampliatis, mutatis, emendatis aut nouis instituendis ratio, ignota adhuc  
et optata reperiundi innotescere posset; ita 7) imitando optima aliorum  
exempla et impedimenta, tentaminum in primis obvia speciminiibus, tol-  
lendo, ad ulteriora daretur progressus. Sicubi autem sensoria nostra, vt  
ad acquirendas obseruationes apta evadant, instrumentis adiuuanda sunt,  
sequentibus potissimum, ne qua contingat subreptio, regulis adstringun-  
tur. 1) Instrumentorum notitia accuarior, qua eorum perfectio aut im-  
perfectio examinari et liquido comprobari possit, requiritur. 2) Modus  
recte iisdem vtendi, errores autem vsu euitandi, debet constare. 3) Ac-  
quisitus in optimo eorum vsu habitus sit. 4) Indagandum, aut ab aliis in  
eorum vsu peritioribus discendum est, quaenam ad hunc vel illum vsu  
plurimum valeant. 5) Caeteris praestantiora ad scopum praesentem com-  
paranda, vel in nostram redigenda potestate, et ad vsu optatum ad-  
aptanda, immo praeparanda sunt. 6) In ipso eorum vsu omnis attentio  
et cautio, subreptionem euitandi atque obsecra arcendi, adhibenda est.  
7) Si obseruatio magni est momenti, alii obseruatores periti, non solum tan-  
quam testes veritatis et certioris cognitionis, sed quoque vt adiutores ar-  
cessendi sunt, ea, quae vnius diligentiam effugere possent, obseruaturi.  
8) Post obseruationem instrumenta, num vel ipsa mutationem passa fue-  
rint, vel in tali eorum vsu error irreperferit, denuo examinanda sunt; 9)  
vel num quidquam in obseruationum serie sibi ipsi aut aliorum obserua-  
tionibus repugnans, aut male cohaerens occurrat; 10) num quid aliis  
certis veritatibus aduersum adsit, vt ab omni subreptione liberari obserua-  
tio queat, ne, quid instrumentis imputandum, ipsi obseruationi, aut rei  
tribuatur obseruatae. Profecto sub his legibus specialium per sensoria  
instrumentis armata acquirendarum obseruationum, aequae ac sub artifi-  
ciosis campus aperitur amplissimus; neque tamen eas, ingenti quoniama  
numero in Autorum scriptis extant, hoc loco, vbi obseruationum regu-  
las eatenus tantum, quatenus experimentis intelligendis adminiculo sunt,  
allegauimus, duco excutendas. Caeterum suceellu saepe in experimen-  
tis felici destituitur regularum artis obseruandi ignarus, quod illae, vt ob-  
seruationes ipsae, experimentis proximam egregiis interdum ansam pre-  
bent. Cuius rei causa vnam, eamque artificalem, quae mihi ante ali-  
quot annos fortuito fese obtulit, excitabo obseruationem. Hiemali noctu

accensa candela in manum sumsi plumulam avis sex pollices longam, fessilatam, pertenuem, coloris subitus cinerei, superius paulum flauescens, et circa extremitatem quatuor fasciis nigricantibus distinctam. Lateralis fuit, aut caudalis, non enim amplius memini, et prope cutem turgidula et valde plumosa lanugine abundans. Talem aut minorem plumulam, auicularum textura pennis similem candelae, in pedis circiter distantia, cum opponerem, non tantum flammatum candelae translucentem in situ ereto, sed et duas secundarias candelas laterales, parallelas, iridis coloribus quibusdam conspicuas obseruauit. Quo longius a candela recessi, vel eam removi, v.c. ad tres, quatuor, pluresue pedes, eo plures vidi candelas laterales, vt vtrinque dueae, tres, quatuor, apparerent. In pena alae anserinae conferta, cuius tubulo scribimus, vexillum superius paene similia exhibet phaenomena, si color non est albus. In albo, vbi vexillum est curuum, haud candela ipsa, sed tres vel quatuor parallelae, rubro et viridi colore distinctae apparent. Quando tenuius istud vexillum non recta, sed oblique candelae oberto, ea quidem in medio, sed decussatae quatuor aliae egregiae, quatuor pedum distantia, caudas suas cometicas coloratas longe diffundentes transparent; quae omnia ad lunae parafelenas et solis parelios non sine successu transferri possunt, experimentis forsitan pulcherrimis locum datura. Sed ad ipsas nunc experimentorum leges me accingo.

Videlicet, cum experimenta experientiae humano debitate adiumento sint: generalissimas quasdam habent leges, et requirunt: 1) res singulares vi praeditas, qua pro diuersa tractatione mutationes alias atque alias, atque ideoque insolitas, edere queant; 2) quae multo alter, ac fieri naturaliter affolet, a nobis cum aliis coniungi, disponi, aut sciungi ab illis ita possunt, vt aliae aliaeque tum prodeant mutationes obseruabiles; 3) quae ita in nostra sunt potestate, vt et talis vsus possibilis, et legitimus sit; 4) aut nisi in nostra potestate sunt, obseruatio tamen institutis experimentis multiplici modo accurari possit; 5) spem probabilemque opinionem, adhibitis huiusmodi mutationibus, incognita detectum iri, quibus rerum vis atque vsus magis magisque dispaleat. Locus ergo experimentis datur, in omnibus artibus atque scientiis, vbiunque tales vnam occurruint. Interim his regulis non accenserentur istae, quae cum omnium sunt veritatum, tum praeципue in obseruationibus fundamenta lo-





co ponuntur; v. c. quod sensoria rite sint constituta; qnod res obseruables et experimento subiiciendae tot sensibus, quot fieri potest, usurpentur, et ipsorum sensuum examen instituatur; quod in primis, num quid in experimento sit per se aut sub conditione impossibile, aut primo obtutu tale appareat, dispiciatur sollicite. Nam si a priori cognoscitur, non esse in nostra potestate, nec in eam redigi posse ea, quea in experimento memorantur, irrita certo erant omnia, id consequendi, molimina futura, vt n. 3 et 4 dictum est: aut si cui rei impedimenta obsunt haecne insuperabilia, prius innotescere, quo pacto tolli illa possint, debet, quam experimentum verum et demonstratum esse largiamur; vt, si quis, vitrum molle et perpetuum flexile, si argentum viuum malleabile se reddidisse contendat.

His generalissimis experimentorum legibus iam aliae generaliores pro eorum diuersitate succedunt. Namque experimentorum capiendorum alter modus facilior est, sed incertior, alter difficilior, at certior. Prior vagus et indeterminatus quodammodo esse solet; posterior rei consulto est attemperatus et curate determinatus. Prior indeliberalior, posterior deliberator dici potest. Quando prior ex improviso et inopinato, aliud agendo, mutationem concitat, fortuitum vel casuale experimentum, sive contingat autore volente, sive nolente, dici solet. Fortuitum quidem et casuale in se nihil est, sed homini tantum, causas non praevidenti, nec quicquam tale opinanti, improvisum aliquid, sive ex toto, sive ex parte, occurrit. Inde facile et fortuitum statuimus experimentum eius, sive qui aliud agit, aliaque experimenta suscepturn, et suo excidit fine, et plane aliud inopinato experitur, cuius nullam antea habuerat notitiam; sive, qui incidit in experimentum improvisum. Huiusmodi quid fieri potest ex ignorantia earum rerum, quae ibi compoitae coniunctio viribus agunt, vt exempla in puluere inuenio pyrio, in vitro ex narratione Plinii reperio (H. N. L. 36. 26) habentur. Fieri idem interdum potest, experimento non quidem prolus fortuito, sed vago quodam fine instituto, vt, quid inde sequutum sit, patescat. Talia experimenta non coeco impetu vagoque, sed potius in aliorum confortio, et determinatis illis, quae confusa notitia potuerunt determinari, sunt suscipienda; praeviso etiam, quantum fieri potest, et remoto noxio eventu periculisque pleno. In genere tentamina et indeterminata experimenta spernenda non sunt, licet

ab initio imperfecta sint, cum saltem aliquatenus prodeſſe, et occasioneſ ſuppeditare poſſint, proprio Marte, aut et aliorum auxilio ea, quae non-dum ex voto ſuccelere, perficiendi, mutandi et emendandi. Maxime enim, ſi ipſe modus tractandi artem circumſpecte et curioſe fuerit eru-tus, egregia inde interdum ſubnata ſunt facta et in lucem producta. Quem in cenuſum veniunt illa chirurgiae transfuſoriae tentamina de ſanguine ex uno animalis corpore in aliud transfuſo, aut de medicina iuſtula; tentamina ad uſum et indolem neruorum, venarum, viſcerum, muſculorum, iis conſtrictis, laceratis, diſciffis, aut exſectis, explorandum; herbarum et ſuccorum effectus virulentorum, quos in ſe primum Cl. D. Störke per-clitando tentauit, antequam eorum uſum ſalutarem aliis propinaret; item tentamina ad auditus ſub aquis et in aere differentiam eruendam, quam Nolletus, non ſine incommodo aquae ſeſe ſubmergens, excuſſit; et alia ſimilia, caſu, nec certo et praefixo facta fine, huic pertinent.

Maiorem iam examiniſ curam merentur certiora experimenta, ſtudio quaesiſta et in ſe egregia, quibus nempe vera, hand vulgaria, certo inno-teſcunt, quae ordine et perſpicuitate tanta omnium obſeruatu necessario-rum perſcripta ſunt, ut plene intelliſti et poſſint repeti indubitato, eademque, quae illis detecta fuerunt, euincant. Sic enim et rerum illarum co-gnitio, et modus illam certo perficiendi, aliisque demonſtrandi vna ob-tinetur. Qua in re plurimum proficitur, ſi quis ea non tantum legit, et num per ſe fieri poſſint, num exacte et perſpicue deſcripta ſint, perpen-dit accurate, ſed etiam repetit, imitatur, mutat, et tandem demonſtrat legitime. Quibus omnibus obtinendis principio ſtatiu, de quoruſ, num noſtriſ, an alieniſ, num iuſtitutiſ iamſiam, an adhuc iuſtituendis, agatur experimentiſ, aduertendum eſt; ſinguloruſ enim peculiariſ habenda ratio eſt. Noua et grauiora diſſiciliuſ, nec ſine crebro exercitio et acu-mine obtinentur. Hinc in aliorum operiſ praefiat optime verſatum eſſe, ea habere perſpecta et habitu experimentandi ante pollere, quam ad noua, deliberato probe conſilio, facienda accedamus. Itaque vel ab ſingulis eruditis, vel eorum auxilio, iunctis ſocietatum viribus et impenſis, facta et deſcripta tentamina legere, aut ipiſi, ſi datur, auctoriibus ea iuſtituendis, adeſſe oculati attenſique, obſeruationum illarum ſimul poſſibilitatem et indolem internam dijudicare et modum procedendi habere ſatis cognitum debemus. Quo facto proximum eſt, ut ſtatiu in limine debitam pra-e-parationem





parationem instituere, id est, impedimenta cum difficultatibus praeuisis remouere, media autem adhibenda apte discernere et ad scopum obtinendum prona facere studeamus. Tum certe nihil est, quod impedit experimenti alieni repetitionem; ad cuius feliciorum successum multum iuuat, partes experimenti et ordinem susceptorum probe intelligere, et hunc in agendo sollicito obseruare, neque quidquam, quod ab autoribus, euentus caussa obtainendi, est praescriptum, omittere. Repetitionis amplissimum campum operosa nobis praefantissimaque volumina pandunt experimentorum, quibus illustrissimi viri, nostra praesertim aetate, Hawksbeius, Nolleus, Desagulierius, Neutonus, Reaumurius, Hallerius, Wolfius, Muschenbroeckius, et societates scientiarum per Europam plurimae, facem nobis praetulerunt, eximiaque artis experimentandi post se reliquerunt monumenta. Sunt in his, qui neque dissimulant ea experimenta, quae repetita ob caussas insolitas paulo aliter euenerent; item, quae periculum attulerunt, vt ex his felix dici possit, quem aliena faciunt cautum pericula. Horum scrutinio et repetitione, non cognitione tantum salutari perficiimus intellectum, sed sensim quoque habitum nobis comparamus practicum experimentorum, quo eorum gauissi autores sunt. Omnis enim iteratio attentionem ad ea dirigit, quae in praesens aliter, ac ante, sunt comparata; eadem subinde auget dexteritatem rectius agendi et perficiendi ea, quae antea per imperitiam secus facta erant, et remouendi impedimenta, quae inopinato se immiscuerunt; et denique nos ab subreptione et praecognitis opinionibus immunes seruat. At vero, si quid nostra alieni repetitione experimenti non omnino successit, tum sedulo in mutationis inquirendum est caussam, v. c. quorum praescriptorum ratio forte non sit habita, quid, vel omisum, vel aliter, ac debuit, institutum sit, vel sicubi ordo mutatus, aut adhibendorum vel quantitas vel qualitas ea, quae esse debuit, non fuerit, vel si a temporis mensura necessaria, aut a modo rite exigendi sit aberratum. Defectus, aut error manifestatus, emendandus eo vsque est, donec euentus respondeat, si fieri potest, experimento. Multis enim modis, vito v. gr. obliuionis, negleciae attentionis ad conditiones rerum, ad ordinem gradum obseruandum, nimiae festinationis et praecipitationis, opinatae correctionis et similibus, variari vel a noalentibus ita experimentum potest, vt euentus voto experimenti et pristine illius effectui non conueniat. Idcirco tum opus est accurata inquisitione mutationis in repetendo eodem admissae, vnde alius emerit euentus.

B

euentus.

euentus. Quo quidem in negotio fieri etiam posset, ut et auctor experimenti aliquatenus a vero aberrasset. Sed tum iterata repetitio accuratior, sibi semper conformis, erratum eiusque fontem facile ostendet.

Repetitio, licet bona eius multa et egregia sint, versatur in eodem semper facto, nec mutationem illius usque quaque intendit. Itaque imitationi opera est danda, cuius auxilio multa innotescunt, quae ad relictus ineundum examen conducunt. Et dicit ipsa quidem repetitio ad imitationem. Illa enim est productio eiusdem, aut eiusdem speciei, actionis eodem modo instituta; haec vero alius, sed similis actionis modo quoque alio et simili. Qui igitur se in repetendis aliorum experimentis ita exercuit, ut iam, ea pronta recteque instituendi habitu polleat, is ad recte imitanda aliorum experimenta eximia progrederi poterit. Dubium enim nullum est, quin aliorum actiones repetendo qui eas, quam si millime optimeque perficiendi, habitum acquisuerit, easdem in casibus similibus deinde tentare, ad casus applicare similes, exspectando similem euentum, posset. Etenim claram iam modi procedendi consecutus est notionem; quapropter casus similes, ubi occurrunt, facile animaduertere potest, aut illos circumspicere, simili modo in aliis agendi rebus facere decretum, excitare in se propositum exsequendi ardorem, et tentando sensu ac ratione ducibus, exercendo frequentius, et corrigendo quae emendationem requirunt, tandem in imitationibus, quos est imitatus, illis param habitum acquirere. Exemplo huius rei Torricellium profero in medium, qui, postquam praceptor eius Galilaeus <sup>in</sup> aequilibrio aeris atmosphaericci cum aqua in antlia causam, cur hortulanus florentinus ultra octodecim cubitos aquam attollere non posset, detexerat, aquae loco mercurium, quater decies ea grauiorem, in tubulo substituit vitro. Quae experimenta barometro eiusque variationibus obseruandis locum dedere. Non loquor hic de imitationibus coecis vel empiricis, actionum vix confuse attendentibus, aut plane negligentibus, rationes, et hac sola de causa, quia agunt alii, nec alio modo, quam quia eodem agunt alii, agentibus; sed de rationalibus, quibus in rationes actionum aliarum debite inquiritur, et quibus alios eatenus imitamus, quatenus eorum actiones rationi deprehendimus conformes. Itaque in sapienti imitatione experimentorum alienorum non ad quancunque casuum similium exspectationem res redit, sed ad accuratam similitudinis, per easdem rerum concurrantium





reatum conditiones determinatae, perspicientiam. Cui vt omni modo satifiat, sapienti huiusmodi imitatione experimentorum tum in similitudine materiae, quam inuicem substituiimus; tum in similitudine virium, tum in similitudine scopi, tum denique in similitudine ipsa agendi et effectuum ordine occupamur. Materiam sumimus aliam; ita in thermometris loco aquae spiritum, varios liquores, olea, hydrargyrum, aerem; et corporum loco liquidorum ipsa solida et secca furrogamus. Similitudo enim corporum omnium, ratione expansi eorum per calorem voluminis, et per frigus contractionis, fuit obseruata; et imitatio semper eo subtilior videbitur, quo occultior est similitudo. Liberale hoc imitandi genus similes etiam vires requirit per materiae ipsius diuersitatem obtinendas. Vt non ex vitro solum sunt vitra et specula caustica, sed quoque ex glacie, ex metallis, ex ligno, stramine et metallicis laminis obducto. Non ex vitro tantum et metallis, sed ex digitis humanis, ex aqua et aliis corporibus, elicitaes scintillae accendunt, et, ob similitudinem vis electricae, percutiunt. Non in chordis solummodo, sed, ob tremores aeris occulte similes, in tibiis quoque, tubis, buccinis, campanis, diuersissimis adeo instrumentorum musicorum generibus, toni excitantur. Finis quoque et usus habenda ratio est: illius, ex similitudine essentiae et naturae rei praesentis; huius ex bonis, quae inde in res deriuari possunt, aestimandi; et tandem modi agendi, ut is prorsus quidem similis, attamen liberalis nec seruus, quantum fieri potest, naturalis sit, simplex et breuis. Frequentiore tandem egregiorum imitatione experimentorum aemulatione ducimur, et alios non sequi tantum, sed assequi et anteire, artis et habitus praestantia, nitimur.

Quod vt fiat, experimenta, imitatione saepius atque iterum excussa, mox mutare incipimus; mutamus autem, quando aliter determinamus, hoc est, quando nec eodem, nec simili, sed dissimili prorsus modo, insituimus experimentum. Nimirum quod mutatur, id non manet idem, nec sibi simile, sed fit aliud, dissimili modo determinatum; quapropter vel, quod ante non erat, fit; vel, quod ante erat, non fit; vel aliud quam ante euadit: sic mutatione qualibet aliquid aut aufertur, aut additur, aut utrumque contingit, vt loco ablati aliud addatur. Haec de experimentorum interna, quae in variatione limitum modorumque consilfit, mutatione valent. Externam, locorum videlicet atque temporum, quam-

quam nec illa sit negligenda ab imitatore, hic seponimus. Mutari autem in genere omnia in experimentis possunt ac debent, quae in illis non prorsus necessaria, sed mutabilia infunt, in quibus, quot modis mutari queant; et quae ad alium finem consequendum probabiliter ducant, dispiciendum est. Et fane res haec iudicatu difficilis est, sequentibus forte extricanda argumentis. 1) Singula, quae in experimento occur-  
runt, distincte expendenda sunt, et quid vnumquodque ad euentus suc-  
cessum conferat, indagandum; 2) considerandum, quidnam eorum  
parum vel nihil, e contrario quaenam ad euentum videantur necessaria  
plurimumque facere? 3) illorum aliud post aliud est omittendum, et  
attendum, num et quid eorum, quae in experimento dari debent, post  
omissionem illam vel desit, vel non desit, aut aliter seu comparatum iam  
sit, seu tantum appareat? 4) Quae forte aliter sic succedunt, ea repeti-  
tione curate exploranda sunt, num forsan, non per se, sed per alia im-  
pedimenta aut aberrata, secus habere debuerint? Itaque de illis omitten-  
dis solliciti in primis simus oportet, quae aperte aliter determinant expe-  
rimentum; id enim, quo omisso vix quidquam in illo mutatur; inter su-  
perficia poterit referri. Simili diligentia ad mutationem experimenti  
peruenimus, si qua diuersae indolis et dissimilis naturae prioribus addun-  
tur, sive alterum fortius, debilius supprimat alterum, sive mixta inde  
euadat natura. Sic aliis additis materiis alia nascuntur composita et  
mixturae, cuiusmodi tentamina felicissimo peracta successu, in coloribus  
producendis et mineralibus corporibus, ad v�us humanos commiscendis,  
multa et praestantissima extant. Insignis quoque mutatio, eaque multo  
maior, experimento confertur, si loco sublatorum alia surrogantur, quo  
facto ipsa omissione seu ademtio et aliorum additio quasi adunantur. Sic  
Dollondus, Klingensier, Eulerus, alii, lentibus diuersae refractionis,  
ex quibus telescopia sua construxerunt, neglecta pristina constructione,  
dispersionem focorum et radiorum diuersi coloris coercere docuerunt, vt  
paene in vnum focus omnes radii lucis, sine coloribus, coeant. Sic na-  
uibus et lignis pice obducendis antea, artifices Angli rectius consulunt,  
quando reiecta pice, inferiores nauium partes, non sine insigni emol-  
lumento, et contrateredines tentamine, partim spissobitumine, sive spal-  
mo, partim tenuissimo cupro vestiunt.

Singularis quaedam experimenti mutatio inducitur mutatis instru-  
mentorum figura et perfectione. Neque enim omnis figura ubique ha-  
beri





beri neque minor instrumenti perfectio idem, quod maior, praestare potest. Hinc perfectiori instrumento plus obseruabitur, quam imperfectori, et semper praeferendum erit factum, quod perfectiori innotuit, illo, quod per imperfectius apparuit, recte postposito; nisi comparare inter se perfectiones iuuat, vt de aliis casibus, quibus imperfectiora tantum instrumenta sunt adhibita, accuratum ferri iudicium, et ita obseruationum melius ostendi consensio possit. Habent haec suum usum 1) in obseruationibus remotiorum corporum, vt in astronomicis, in telescopiis dioptricis et catoptricis variae longitudinis et distinctionis, item in micrometris diversis cet. 2) in obseruationibus minutiarum, saepe nudis sensibus imperuariarum, pro diuerso, tum perfectionis microscopiorum rei praeferunt accomodatissimorum, et oculorum obseruatoris, tum habitus praeparandi obseruandique quam optime, gradu. 3) In antiis pneumaticis aerem vel exhaudentibus vel condensantibus, ea, qua fieri fas est, praestantia. 4) In cameris obscuris et radiorum lucis per diuersa prismata segregatione, reliqua. 5) In laternis magicis. 6) In acusticis instrumentis variorum generum. 7) In barometris, thermometris, hygrometris, anemometris, staticis, hydrostaticis, hydraulicis instrumentis diuersissimis, de quibus hic fusius agere breuitatis studio nolo. 8) Praetermitto denique artificium opificium instrumenta mechanica innumeraria, quae in speciali experimentorum et obseruationum tractatione affera renta forent. Nam in generali hac experimentorum Critica sola fere nominatio instrumentorum, quorum diuersitas alia atque alia exhibere potest experimenta, debet sufficere; quia cuique patet, prolixiorum illorum pertractionem non huius loci, sed ad ambages, omnino euitandas, esse auocaturam. Vnum submonere habet instrumentorum mutationi conuenire virium in effectibus producendis aliam atque aliam sufficiem, cuius diuersa maxime adiumenta statica atque mechanica, vendo viribus ex quolibet fere rerum naturalium genere desumptis, suppeditauit.

Quemadmodum saepe contingit, vt scopus experimenti multis modis obtineri possit, sic in istiusmodi casu modi possibiles aut usitati primo quam clarissime representandi, deinceps pro conditione praeferenti temporum, locorum, personarum, virium et sumtuum adhibendi sunt caeteris praestantiores. Priori labore variationes experimenti, quotquot habentur, aut haberi possunt,

possunt, saltem a posteriori, detegantur, circumspiciendo et obseruando modos iam visitatos, eosque imitando et variando secundum regulas antea descriptas. Posteriori, modi melioris, ideoque pro re nata praeferendi, electio debita instituitur. Habent etiam experimenta sua artificia et viarum compendia, quae, cum modo citius et facilius, modo clarius et commodius, modo minori sumtu, aut maiori quidem, sed praestantiori effectu agant: vbicunque nihil obstat eiusmodi breuiores viae et artificia combinandas et in uno experimento simul adhibendas sunt. Eminet eiusmodi, connexis artificiis, machina anglica, siue antlia continenter bullientis aquae pretiosissima, quae plus aquae, quam vlla alia, ultra centum pedum altitudinem exhaustire fertur. Coniunguntur in illa compendium vaporis feruidi abundantis amplitudine abeni; ratio vis vaporum huiusmodi ad vim pyri pulueris explorata; eius per valvulae elaterem, ne antlia displodatur, temperamentum; praestantissima subita refrigeratio cylindri, admissa frigida; artificium antliam tractandi vno homine, eoque rudi, alia. Forte machina haec ad vim aeris condensati applicari sic posset, vt par esset quinque, sex, vel octo atmosphaeris, quemadmodum bombarda pneumatica seriem globulorum, sine noua condensatione vel duodecies explodit. Tum nullo opus esset sumtu tantorum ahenorum, tot carbonum durante exhaustione semper ignitorum, tam stupenda impendiorum copia in unicam antliam, vaporum feruidissimorum multitudine, agitandam, et deficiente aqua aut gelida hieme iniudem. Quae tamen elaborata nondum et experimentis comprobata sunt. Nec lubet hoc loco commemorare, quomodo vis vaporum fluidorum, aut vi alia dissipatorum, ad praestantiam fistularum bellicarum pulueris vi pyri explodendarum adhiberi posset augendam. Potius ad illam experimentorum rationem variatorum mentem aduertamus, oportet, qua successus spei nostrae non respondet. Animus enim, si non omnia statim ex voto succedunt, non est despontendus, sed inuestiganda et tollenda sunt impedimenta. Nemo enim tam perspicax est, vt omnia momenta rei, eiusque cum aliis concursum futurum illico, et simul, penetret. Et saepe difficultates occurunt improvisaes, quae aut superari possunt, aut nequeunt. Si remoueri possunt, omnis, vt superentur, nauanda est opera; si nequeunt, experimentum alio modo tractandum erit, qui illa non involuit impedimenta, aut illis remedia, quibus arceantur, opponit. Procul dubio antliae atmopyriae et pneumaticae multae obsuere difficultates, neque





neque ab autoribus suis dissimulatae, successu tamen temporis remedii idoneis sublatae sunt. Nupera aetate magnetica et electrica experimenta sperato caruere successu, quae tamen ab aliis ita sunt emendata, ut voto responderent. Diu dubitatum est de aqua ultra 30 aut 36 pedes parvissim in antlia suspendenda; sed recentiore tempore, experimento haud improbabili, effectum dicitur, ut aqua in tubo, 90 vel 120 pedes alto, suspendetur, in latere tubi quolibet tricesimo pede tantillo facta foramine, atque aequilibrio atmosphaerae et aquae in subsidium adhibito.

Sic exercitatus in modo dictis, nempe in repetendis, imitandis et mutandis experimentis aliorum, operumque naturae, talia demum ipse, quorum nulla vidit exempla, nec in arte humana, nec in natura, poterit suscipere. Perinde vero est, siue nunquam talia habuit natura aut ars humana, siue tantum talia extitisse, penitus ignoretur. Primi enim artium et scientiarum inuentores suopote ingenio noua excogitarunt, et quae solide excogitauerant, experimentis effecerunt. Eodem modo etiam noua nunc experimenta, nouae artes ab his, qui regulas experimentandi ipsis exemplis confuse percepserunt, et laude inuentorum incitati ad similem laudem aucupandam sunt, deteguntur. Alios ardor noua periundi, artes scientias in generis humani utilitatem augendi, et curiositas vrgent. Hoc modo Neutonus melius, quam vulgari prisme fieri solet, radios lucis naturalis in septem colores iridis separandi experimentum inuenit; et Archimedes aliud, internam aureac coronae fraudem euincendi, omnemque scientiam detexit hydrostaticam. Difficiliora, fatoe, esse haec experimenta reliquis, non tamen regulis carent, quibus ad ea, quae vires humanas non excedunt, exemplo tot primorum Daedalorum peruenire datur. Quo magis opus est, difficultatem eorum non reformidare. Diminuitur ea per regulas operandi praecedentes, quibus confusio in exemplis latens magna ex parte, quantum in generali hac tractatione fieri potest, tollitur, et ad cognitionem perducitur distinctam. Quae regulae hic augendae et ad certiora aptandae sunt experimenta. Noua huius generis, nostra aetate, Cl. Trembley in Polypis, ut inauditam antea eorum naturam dilucidaret, instituit. Haec proprie illa sunt experimenta, quae supra appellauimus studio quaestua; quoniam determinato maxime fine, et matura suscipiuntur deliberatione. Versantur in rebus cognitu difficultioribus, ideoque ad remouendas, minuendas

das difficultates ingenii, donec superentur, omnes intendendi nerui sunt. Quod cum non sine deliberato consilio et habitu quodam eximio fieri possit, cuncta, quae in natura prostant, quae in nostra potestate sita, per quae, quod indagamus analogorum exemplo fieri posse videtur, circumspicienda sunt, ut, per quae facilius certiusque ea, quae optamus, reperiundi spes illucescat, et quae caeteris praferenda et ad propositum accommodanda sunt, appareat. Neque aliorum hominum, praefertim acutorum et profundorum, opera, experientia, consilium, spernenda sunt: siue ex libris eorum, siue ex colloquio, siue ex literarum commercio, hauriantur, quo illis tantum nostrorum meditatorum consiliorumque impetrimus, quantum ad eorum iudicia discenda consultum putamus.

Quae secundum enarratas hactenus regulas exiguntur experimenta, ea rem prorsus decidunt, et omnibus velut crucem figunt oblocuturis, ut obmutescere cogantur, saltem nihil solidum obiciere queant. Ultimum quasi certissimumque continent decretum, inde, cunctis sublatis dubiis, veritate certo demonstrata, et extirpata falsitate, iure meritoque decisiva appellantur, atque demonstrativa. Cuius generis experimento, sonum non esse, nisi aeris tremorem, probatur, quia aere vitrea ex campana penitus exhausto, horologium sonare non auditur, etiam si malleus campanam eius feriat, et haec cum illo velociter contremiscere videatur. Simili Neutonus prismatis radios luminosos refringentis auxilio, simplices colores non esse, nisi radios lucis refractione segregatos, gradu perniciatis differentes, et album non esse, nisi omnium radiorum confusionem, decidit. Et experimentum, quo septem colorum simplicium corpora iuxta se posita, per peccinem velociter super illis motitatum iubentur speclari, ad quaestione, quis color ipsis ibi appareat? respondentes, non nisi album, demonstrat, album colorem non esse, nisi confusionem omnium simplicium colorum; refutaque simul errorem, album esse colorem simplicissimum omnium ac primituum. Radius enim albus in obscurissimo conclavi per debitum prisina in septem, nec plures nec pauciores, radios coloratos disiungitur, et hi septem colores, vitro caustico excepti, in eius foco rursus non alium, quam album, exhibent colorem. Propterea et album omnes radios lucis reflectit; nigrum fere nullos, seu tantopere debilitatos, ut negatio albi, itaque et omnis coloris simplicis, adsit.





ad sit. Idcirco et imago a speculo, pice nigra in auersa facie obducto, non nisi debilis et obscurata satis redditur, quod non melius liquet, quam si a vitro speculari abrasas hydrargyrum, eiusque loco picem illi obducas, atque tum conseras imagines ab hydrargo et pice reflexas v. c. diuidiam faciem tuam ab alterutra.

Occurrunt saepe eruditissimis viris res dubiae dissensum eorum gigantibus et diu fountibus, quae nonnunquam felici experimento, sublato penitus dissensu, deciduntur. Ita cum dissident Physici insignes, vnde thermometri in liquorem calidorem immisli subitus descensus ante sequentem adscensum oriatur, qui videbatur statim sub immisionem oriri debere; et vice versa subitus adscensus in frigido liquore, priusquam sequitur expectatus descensus: excogitauit Bulsingerus experimentum, illam decidendi controuerfiam (Comment. Soc. Sc. Petrop. III. p. 243.) Et complures formari possunt quaestiones, ad quas interdum non nisi captis experimentis responderi, et latens aut dubia veritas detegi potest. De communi et in vulgus nota opinione, cancris et astacis chelas renasci, diu dubitatum est, quia aliis animalibus membra ademta non renascuntur. Sed institutis tentaminibus veritas regenerationis extra dubium posita, simulque, quo in articulo, quo tempore, et quomodo id contingat, vt orbentur quadam chela eaque redonentur, euictum est. Quam rem documentis satis probauit Reaumurius. Idem in aliam quaestionem dubiam solo tentamine expedientam: quomodo dissolutio ciborum in ventriculo fiat? incidit; et grana macerata in aibus graniuoris ventriculi carnoi vi incredibili comprimi et triturari sic, vt in farinam et pultem velut commolantur; in carniuoris autem liquorem ventriculi gastricum tanta soluendi vi gaudere, vt carnem et ossa, vitreo etiam tubo inclusa, fere in gelatinam resoluat, diligenter detexit obseruatione. Hawksbeius suis experimentis scrupulos super elasticitatis caussa aeris eruditis feliciter exemit, eamque non pendere ab aere ostendit. Ex quibus manifesto sequitur, vt res maxime dubiae experimentis possint nouis dirimi; quae, vt a vicio subreptionis liberos nos praestent, omni adhibita circumspectione, variatis mutabilibus, iteranda sunt. Iteratio enim experimentorum quorumcunque consulta quidem, in nouis tamen ad remouenda impedimenta, ad fugiendos errores et abigendas praecognitas opiniones, necessaria maxime et salutaris videtur. Sic Neutonus legem delapsus gravium in aere, adscitis peritissimis obseruatoribus, noua ratione exploraturus, saepius diversae

mersae molis et densitatis corpora ex altissimo Londinensi templo Paulino in aere dimisit, diligentia et attentione summa cuncta discrimina obseruans, et dubia repetens, ut veritas ex eodem euentu eo melius innotesceret. Deinde et lex cadentium in cylindris 15 pedum, aere exhausto, fuit eruta, et plumulam ibi leuissimam cum aureo nummo simul fundum attingere deprehensum est. Quam in rem conferri potest Musschenbroekii orat. de instit. exper. p. 22-24.

Experimenta a nobis aut ab aliis inuenta, repetita et variata, vsu suo prorsus desituta essent, nisi, in nostra aliorumque commoda describerentur accuratissime. Vnum enim idemque experimentum multis saepe institui potest modis, nec, quoniam exigatur, perinde est, cum alio saepe plus, alio minus, alio facilius et certius, alio difficultius et incertius scopus obtineatur. Neque semper eadem cogitationum nostrarum series et proclivitas est; quare quae iam facilius succurrunt, alio tempore revocari in mentem non possunt, ideoque et propter ea, quorum nunc sumus immemores, minus succedunt. Imprimis et illa, quae facile quidem in mentem veniunt, sed secus, ac optamus, cadunt, aut periculum quoque creant; item et illa, quae facillime et optime succedunt, connodata sunt. Ita felicius aberrationes cauemus, temporis et sumtibus parcentes, certiusque potinur optatis. Multo magis aliorum caussa omnia, quae ad felicem tentaminis successum necessaria fuerunt obseruata, ut nostrae fidei veritatisque eo melius conuincantur, magno studio describenda sunt. Ingredi autem experimentorum descriptionem et constitutre prae caeteris debent: 1) materiae adhibitae, quoad suam qualitatem, essentialiem et extraessentialem, quantitatem in numero, pondere et mensura, item praeparationem, si ea indigent, et statum necessarium, distincte determinatae; 2) earum mixtio et vniio, secundum omnes actiones ad illam facientes, qua debita instrumenta eorumque partes, delineationem et regulum aut prauum usum; qua ordinem conuenientissimum, facilitatem et compendia; nec non qua modum, eas optime exercendi et dirigendi, qua locum, tempus illiusque durationem aut variationem, ceterasque conditiones profuturas; 3) Admonitio ad attentionem praecipiorum experimenti momentorum, vnde conuictio de eius veritate aliquique consecutariis obtainenda; 4) Explicatio rationum, vnde intelligi necessitas et praedictorum ad finem propositum consequendum utilitas, et, quid unum quodque ad illius consecutionem conferat, perspici possit. 5) Dehortatio-

ab





ab omnibus nocituriſ, ſeu illiſ, quae ſuccellum experimenti fruſtrari aut deteriorem efficere poſſent. Illustrantur haec ex libriſ praefantiflormi rum Autorum, qui fuiſ experimenti magnam adepti autoritatem et gloriam apud alios ſunt. Quem in finem experimenta citamus feorū edita antiquiorum: Verulamii, Magdeburgica, Boylii, Sturmii cet. recentiorum, Wolfii, Muſchenbroekii, Desagulierii, Nolleti; et praeter illa, quae in Actis Societatum Principaliū plurimarum occurruunt, vetuſſis et hodie continuatis, Florentinae, Parisinae, Londinensis, Bononiensis, Berolinensis, Petropolitanae, aliarum. Nec antiquiſſimorum Physicorum et Philoſophorum experimenta, quatenus hodie eorum deſcriptioni euentus reſpondet, ſpernenda ſunt. Nec in Physicis tantummodo ſubſiſtimus, ſed ad alias diſciplinas et ipsam technicam regulas has extendimus. Sic a me dicis accurate deſcribuntur, quae medicamentum conſtituere debent, quo modo ſint miſcenda aut in praeparationibus comparanda, quaque doſi propinanda ſint, ut naturalibus, quae haberi nequeunt, ſubſtitui poſſint ab aliis artificiis et mechaniciſ instrumenta et arte facta: heliоſcopia, mi croſcopia, priſmata Neutoniana, machinae omnis generis, puluis pyrius, totusque proceſſus illum confiendi, qui ſit omnium validiſſimus, vna cum vario eius vſu, et innuſra alia artis atque diligentiae humanae opera, deſcribuntur.

Rerum tandem omnium veritas examine comprobatur, quippe quod in experimentis recte vocamus operationem mentis, qua experimentorum veritas nouis argumentis ſtabilitur. Euidens quidem claritas experi menti in ſenſuſ incurrēns, aut vna eius demonstratio ſufficere quidem poſſet. Sed quia mens inuita, in fuiſ operationibus, a priori aut a poſte riori ſuſceptis, aberrare a vero poſteſt: rationiſ praefat et experientiae adhibere connubium, et examiniſ inſtar arithmeticī, in operationibus ex perimentorum logicis ſimile examen inſtituere: partim ut a veritate, ne ni minum deſlectāmus, partim ut in rebus magni, ſaltem nonnullius, mo menti veritatis certiſſima potiamur conuincione. Nec tantum in nouiſ ex perimenti et alieniſ, ſed etiam in noſtriſ, quia nihil humani a nobis alienum eſt, rigorofum examen conſultum erit. Quod, quōmodo fiat, paucis videamus. Quisquis aliena experimenta repeteſ, imitari, mutare, vel et ipsam naturam imitari, noua excogitare et informare, ut in antecedentiibus commemoraſum eſt, didicit, ei non diſſicile erit, ſub cenzuram examiniſ neceſſarii, ut certior fiat, illa reuocare. Illud autem examen, ve ritatem

ritatem certaine comperturum, hac ratione ingrediendum est: 1) vt omnia experimenti phænomena et data reuocentur ad regulas experimentorum huius generis supra traditas, et, num iisdem exacite conueniant, an vero sicuti ab iis recedant, dispiciatur; 2) vt potissimum, num qua subreptio, siue in materia eius, siue in forma, admissa sit, attendatur; 3) num, quod concluditur, necessario inde sequatur et demonstretur, an potius sit opinio, apparenti specie nixa? 4) num descriptio eius tam sit perspicua accurata et adaequata, ac esse debet? Ita denuo sub incudem reuocata experientia confirmataque, detegendis, si qua reflant, dubiis tollendis inferuent, vt et ipsi nos melius de eorum veritate conuincamur, et conuincere alios queamus. Quia vero aliena haec sunt experimenta, eo acutiores erimus in illorum scrutinio, quo remotores sumus ab omni partium studio odioque, veritati evidentiaeque exactissimae vnicce intenti. Quod de alienis, id multo magis de nostris, antequam quidpiam certum de illis flatuatur, probe examinandis valet. Solet enim, luculenta experientia magistra, suum cuique esse pulchrum, quandiu illud ut suum contemplatur. Quo casu cauendum est, ne amor nostrum nobis imponat, aut error antecedens recurrat in memoriam, et denuo nos seducat. Idcireo 1) seponendum est examen in aliud tempus, quo pristina actionum series aut modus agendi non amplius animo obueretur. 2) Si vel eius adhuc recordamur, tum aut aliae eligenda sunt res, ne vitium priorum denuo obsit experientia, aut accidentalis eaurum conditio pro conflanti accipiatur; aut alius eas tractandi modus, alias actionum ordo, rebus tamen et scopo conueniens, est adhibendus, vt illa, quae ante latebant, manifestentur. 3) Generatim alia adhibenda sunt veritatem euincendi et errorem, si quis prioribus irrepsisset, detegendi argumenta. Quo tandem scrutinio cognitio experimentorum verorum certa acquiritur. Spuriorum etiam, quorum nimis magnus saepe est prouentus, indoles indagatur. Haec enim, vbi occurunt, aut in medio sunt relinquenda, aut tantum sub conditione, si vera, si falsa in posterum deprehendantur, aliquid de illis est flatuendum. Spuria in genere ad imperfecta pertinent, ad depravata et rectae experientia indolis experimenta; quae, si correctionem admittunt, ab imperfectione liberanda, et perfectiora reddenda sunt. Itaque, qui operationum physicarum patiens est, tum res in experimento necessarias, tum modum eas tractandi, contemplandi per se, aut per instrumenta, et vniendi perquirit, et quicquid in his, tanquam in materia et forma, iure reprehendit,

aut





aut rectius comparari posse intelligit, id corrigendum sibi sumit. In rebus ipsis experimento subiectis essentiam, si tota et integra, si ex parte nec nisi mutila et manca adsit, habet ob oculos; vim, si omnis et scopo et effectui conuenienter agat, si essentiae conueniat, nec aliena et corrupta, immo si mutabilis sit, disquirit, et quoscumque ibidem defectus reprehendit, eos quam optime corrigit. Ad modum tractandi corruptum pertinet, quicquid in eius praeparatione, vnicne seu genesi, conseruatione et vsu, generatim in genuino compositionis modo perperam factum est; quem ideo vitiis, quibus laborat, expurgatis in necessariam perfectionem restituere oportet. Nam citra genuinum compositionis modum, sive mixtione absoluatur, sive textura, aut structura, res sua carebit essentia et natura; vt adeo hanc, qui restituere atque corrigeretur nititur, illum antea pernoscat, et quantum experimentorum quoque corruptorum primis debeamus autoribus, probe intelligat. His enim laudes potius suscepit debentur operis, quam reprehensiones eorum, quae emendari merentur. Forte nos, si tum illorum fuissemus loco, nil tale aut multo minus praeslituros sequens vidisset aetas, in quam nunc alio ordine et tempore sapienter sumus reseruati. Neque quisquam natus dicit perfectiorem, gigantis insistentem humeris, quia longius ipso prospectare valet. Sic nos inuentis aiorum, vti Euclides atque Aristoteles, eorum qui ante ipsos inuentis flouerunt, vt amur, grati illorum, qui sua facta et inuenta nobis emendanda, imitanda et amplificanda reliquerunt, recolentes memoriam, eaque eorum more ac methodo posteris, ad vteriora progressuris, pariter praeparantes, agricolam imitaturi, quamvis senem, quaerenti, cui serat, diis immortalibus respondentem, qui me non accipere modo haec a maioribus, sed etiam posteris prodere voluerunt.

Pauca sunt, quae sub finem non reticebo inuitamenta et artem experimandi, a priori praesertim, iuuandi subsidia, ipsis quoque Criticæ experimentalis insigni futura utilitati. Primum profunda veritatum physicarum et mathematicarum scientia est, et solida commentatio, quomodo illa, quae a posteriori obseruata, vel experimentis comperta, vel casu improviso nobis aliisque oblata sunt, a priori inueniri potuissent? Mirum fane, quantopere ingenium experimentis assuetum acutat huiusmodi scrutatio, in qua, quisquis ingeniosior, maiori veritatum connexarum apparatus instructus, solidior et in experiendo versatior est, caeteris felicior erit. Prostant in nulla non Matheœsos et Physicæ parte, in aerometricis,

hydrostaticis, staticis et hydraulicis, in mechanicis et dynamicis, in opticis, acusticis, cet. egregiae veritates experimentis erutae, de quibus, quomodo a priori iuueniri potuissent, circumspiciendum esset. Prostant obseruata innumera ratiociniis aequae ac experimentis indaganda, quorum modo unum, cuius cauas exploratas cuperem, licet commemorare: cauam nempe ventorum in atmosphaera simul occurrentium, sive oppositorum, sive obliqua directione differentium a se inuicem; vt in diversis regionibus tres quatuorue et diuerso nubium motu obseruentur, qui ab ordinaria sua saepe natura abhorrent, v. c. vt australes venti apud nos haud calidi, sed interdum gelidi, aut admodum rigidi sint. Illa causa in aeris et atmosphaerae elasticitate intelligitur dari. Etenim vti chordae elasticiae commotae sursum et deorsum, vel dextrosum et sinistrosum, impulsu factio, vibrant; vti sonus varia echus resonantia reperiuntur, et tonitrua murmurando hinc inde feruntur, donec rursus ad aequilibrium perueniatur; vel vti pendulorum oscillationes in aere aut aethere sat diu continuantur: ita quoque venti atmosphaerae, in ynam erumpentes regionem, ab aere obstante repercussiones et velut oscillationes subire atque continuare eo vsque, donec aequilibrium restituatur, possent. Causam hanc obseruationes confirmant, quibus passim in situ atmosphaerae horizontali venti contrarii, in locis non longe disstis, occurunt, in iisdemque continuantur, aut ventum vicinae regionis vincent, et eurum in zephyrum, boream in austrum repente immutant. Aliae similes reciprocationes fluminum aeris, praesertim longe lateque uniformes et diu durabiles, in situ verticali, sursum deorsum, tendere possunt, qui coelo sereno aut prorsus nequeunt obseruari, aut nubium superiorum directione in alias item et alias regiones, in quibus minor, quam alibi, datur resistentia, diuergunt. Aliae quoque situ, inter horizontalem et verticalem obliquo, admodum variabili occurtere non absque ratione idonea creduntur. Remissiones autem, et intentiones ventorum temporariae, ex illa resistentia et in diuersas directione plagas, in quarum trachy motus nubium, vti fluctuum, etiam durante remissione pergit, partim ex editiorum obstatulis montium, siluarum, turri, vbi plerumque collisio maiorem parit vehementiam; partim ex altiori delapsu legibusque cadentium, vi analogiae cum aliis fluidorum et elasticorum corporum vibrationibus, possunt proficisci. Quae omnia simul sumta, ad leges obseruationum redacta et computo subacta hydrodynamicō, ventorum





rum impetus (*Windstöße*) noua prorsus eaque vtilissima, quae adhuc in desideratis habetur, theoria explicarent. Secundum subsidium exploratio est eorum, quae a rerum physicarum maxime consultis ad sua, vel bona consequenda et commoda augenda, vel incommoda et damna auertenda, optantur et desiderantur, et quomodo illa a priori aut, factis debite faciendis, prius a posteriori, deinde a priori obtineri queant, consideratio. Huc problemata, quibus praemia praestituntur, aut olim praestituta et attributa sunt, pertinent. Quorum ideo notitia acquirenda, et in futuros conseruanda vſus est; postea, quomodo nondum soluta solui, soluta autem aliter et melius solui, variari, ampliari, ad alia adecommodari, aut mutari vtiliter possent, data meditandum opportunitate est. Tertium est lectio librorum riorum, in quibus aliorum aut egregia artis huius specimina, aut nupera eaque ac antiquiora inuenta ingeniosa, desperita etiam et ignota nunc, item ab aliis promissa et necdum vel non ita, vt optari posset, praefixa, commemorantur. In his enim semper supplendum, aut secundo ingenio ansam noua excogitandi praebens, quidquam supererit. Nam et errata aliorum ad rectiora atque veriora, et impossibilia ad possibilia, et inutilia ac inepta ad utiliora aptioraque manu ducere mettabundum possunt.

Caeterum, quod supereſt, Reuerendis, Praenobilissimis atque Doctissimis Philosophiae Candidatis voluntatem Collegii Philosophici, qua, die 30 Aprilis futura, distribuendorum Summorum in arte Noſtra Honorum Sollempnitas decreuit, significandam duco. Quapropter petiuros hoc tempore Doctoris Philosophici et Artium Magistri gradum, ut nomina sua mihi, Decano, mature dent, humaniter inuito, certissime persuasi, nos honestis viris, doctrina fatis instructis, literarum haec et praefitiae in scientiis diligentiae praemia, testimonii instar publici, lubenter esse tributuros. Faxit Deus feliciter. P. P. in Vniuersitate Literarum Wittembergensi, Dom. post Natu. Christi, A. R. S. 1775.



CON-

## C O N T E N T A.

<i>Examen et Critica experimentorum frequentissime negliguntur; in quo confidunt</i>	pag. 3
<i>Praemittuntur regulae et leges observationum artificialium</i>	4
<i>Item et instrumentalium</i>	5
<i>Observationes saepe experimentis ansam praebent; exemplum</i>	5. 6
<i>Generalissimae experimentorum leges</i>	6
<i>Generatores leges pro diuersitate eorumdem differunt</i>	7
<i>Modus instituendi experimenta fine indeliberato</i>	7--8
<i>Examinis ratio et cura in experimentis studio quæstis</i>	8--9
<i>Primo quidem repetitur experimentum; et quomodo</i>	9
<i>Repetitionis ope defectus et vitium experimenti deteguntur</i>	9
<i>Si repetitum non succedit, quid faciendum</i>	9
<i>Porro imitamur aliorum experimenta; quid sit</i>	10
<i>Sapiens imitatio similitudinem sequitur in materia substituenda, viribus agentibus, scopo et modo agendi</i>	11
<i>Mutatur experimentum, et quomodo</i>	11
<i>Regulae illud mutandi</i>	12
<i>Mutatur experimentum mutatis præsertim instrumentis</i>	12-13
<i>Quibusnam in obseruatt. et experimentis usus inlstrumentorum excellat</i>	13
<i>Scopus etiam experimenti indolem variat</i>	13
<i>Breuiissime et perfectissime debet obtineri</i>	14
<i>Si variatum non succedit, impedimenta sunt tollenda</i>	14
<i>Nova, difficiliora, mature deliberanda et aliorum adiumento, quomodo jucipientur</i>	15
<i>Experimenta, regulis exacte quae conueniunt, sunt decisiva</i>	16
<i>Leyes experimenta describendi accurate</i>	18
<i>Illustrantur ex aliorum præstantissimum virorum libris et descriptionibus</i>	19
<i>Iam quid generatim experimentorum examen dicatur, et quomodo aliena ad illud reuocanda</i>	19
<i>Quomodo nostra</i>	20
<i>Vjus spuriorum experimentorum; quomodo corrigenda</i>	21
<i>Maiores etiam in deprauatis laudem meritentur</i>	21
<i>Quaedam inuitamenta et artis experimentandi generalia subsidia</i>	21-22
<i>Primum: profunda veritatum physicarum et mathematicarum scrutatio</i>	21
<i>Quod illustratur inter alia ventorum directionis et præfertim impetus explorandi exemplo</i>	22
<i>Secundum: Exploratio eorum, quae a doctissimorum tentaminum auctoribus optantur et adhuc desiderantur</i>	22
<i>Tertium: Lettia librorum rariorum, in quibus artis optima huius specimenina commemorantur</i>	23

Pa 403

S

M 10.







GENERAL E M  
EXPERIMENTORVM CRITICAM  
T R A D I T  
A T Q V E  
S O L L E M N I A  
M A G I S T R O R V M  
L I B E R A L I V M A R T I V M  
E T D O C T O R V M P H I L O S O P H I A E  
C R E A N D O R V M A T Q V E I N A V G V R A N D O R V M  
I N D I C A T  
C O L L E G I I P H I L O S O P H I C I  
D E C A N V S  
E T H. T. COMES PALATINVS  
I O A N N E S D A N I E L T I T I V S

P H Y S. P R O F. O R D. F A C. P H I L O S. S E N I O R.

V I T T E B E R G A E  
LITTERIS CAROLI CHR. DÜRRII ACAD. A TYPIS  
1775.

